



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

In hospitalia pauperes ejus loci, ubi constituta sunt, potissimum
recipiendos, maximè contagiosis morbis implicitos. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

P A R S V N D E C I M A .

C A P. I. De Hospitalibus & Orphanotrophiis, aliisque id genus piis locis.

Non solum Canonicis constitutionibus, sed & Imperialibus ac Regalibus institutis, antiquitus piensissime sancitum est, ut habeantur quam fieri potest frequentia in Repub. Xenodochia, Ptochotrophia, Orphanotrophia, Gerontocomia & Brephotrophia, & id genus alia loca pietati consecrata, in quæ recipiantur peregrini, pauperes, invalidi, senes, parentibus orbatique inopes liberi, infantes expositi, furiosi, leprosi, contagiosisque ac perpetuis morbis obfati, atque alia miserabiles personæ. Idcirco curæ Nostræ imminet, ut ejuscemodi loca, ubi constituta sunt, facta tecta teneantur; ubi verò dissipata sunt, instaurentur, reformenturque; denique, ubi necdum constituta sunt, Episcopali Nostra providentia ædificentur, construanturque. Pauperum enim curam nobis Christus præcipuam esse voluit; & horum toties meminit divinissimus Paulus Apostolus.

C A P. II. In Hospitalibus imprimis animæ curandæ, deinde corpus.

Hic ante omnia curandum Nobis est, ut in domibus istis, quæ ad salutem animarum pertinent, minime negligantur, sed ante omnia de Sacramentorum administratione, pauperibus, debilibus & ægrotis, provideatur; ac, ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animæ, deinde corporis medicus accersatur.

C A P. III. In Hospitalia qui recipiendi.

In ejuscemodi autem Hospitalia nullæ aliæquam eæ, quas diximus, miserabiles personæ, quæ aut morbo aut debilitate aut ætate impeditæ, suis manibus laborare victumque ac vestitum sibi comparare non possunt, recipiantur; quas ad Ecclesiasticam disciplinam Canones pertinere, ac Nostris aliorumque piorum hominum largitionibus victitare, voluerunt.

C A P. IV. In Hospitalia pauperes ejus loci, ubi constituta sunt, potissimum recipiendos, maxime contagiosis morbis implicitos.

Inprimis autem recipiantur in hæc Hospitalia personæ miserabiles ejus loci, ubi Hospitalia constituta sunt. Quod si recte curatum

fuerit, suffecerint penè (nisi tamen fallamur) jam constituta Hospitalia omnibus vere pauperibus, per singula oppida ac vicos repertis, ut amodo illis non fuerit necesse ostiatim panem emendicare, aut eos, qui lepra seu alio contagioso morbo impliciti sunt, inter homines diverfari; quod lege Divina, ne fiat, prohibitum legimus; nec immerito; quod, ex tali commixtione ac conversatione cum ianis, infinita pericula subsequantur, etiam ex solo adfpectu; qui intuentibus horrorem solet incutere. Quod si leprosis, aliisque qui similibus morbis impliciti sunt, Hospitalium, quibus addicuntur, reditus non suffecerint, satius est, ut ipsorum nomine, in Conventu Ecclesiæ, Eleemosyna per aliquot viros probos, ad hoc munus deputandos, colligatur ac præstetur, atque ut trunci in templis, Eleemosynis istis colligendis asservandisque, erigantur, quam ut ipsi morbofi, alimoniam petendam obtentu, aut quocunque alio prætextu, consortiis hominum misceantur.

Num. 12.

Cod. de mendic. val. li. 12.

C A P. V. Mendicantibus validis Hospitalia clausa, & mendicitatem interdictam esse oportere.

Sint autem Mendicantibus validis non solum Hospitalia clausa, sed & publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum. Et, qui secus agere comperti fuerint, arceantur, ac legalibus Nostrisque constitutionibus comprehensis, pœnis subdantur. Vtilius enim esuriienti panis tollitur, si, de cibo securus, justitiam negligat, quam eidem frangitur, ut, se ductus, injustitiæ acquiescat.

C A P. VI. Magistrorum Hospitalium pravi affectus damnantur.

Damnamus autem abusum, quo in quibusdam locis fit, ut, neglectis miseris ac inopibus quibus Hospitalia dedicata sunt, ex privato affectu Magistrorum aut Magistratum qui Hospitalibus hæc præsumunt, non modo validi, sed & quibus victus & vestitus suppetit, recipiantur; tantum quod illic commodius & in otio vivatur: qui certe aliter cenferi non possunt, quam pauperum deprædatores, raptoresque, de alieno viventes, ac velut ex sanguine pauperum saginati. Quos divus Hieronymus gravissime increpat. Qui (inquit) ex bonis parentum & suis opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt.

Hieron.

Cod. de Episc. & Cler.

Matt. 26. Marc. 14. 2 Cor. 8.